

USUS E VERSU XLVIII.

- (1) Vindictam. quando, cur, & quousque & contra quos expetere liceat, v. V. præcept.
- (2) Ultio non sumi debet pro caeco carnis impetu privato ausu, verum universa illa ad Supremi Judicis jura pertinere credenda est.
- (3) Autoritas magistratûs promptumque subditorum obsequium proficiscitur à Deo. IV. præcept.

USUS E VERSU XLIX.

- (1) Ereptio ex hostium insidiis injuriisque apertis non tribuenda viribus propriis, sed soli Deo, causis secundis benedicti: 1. Cor. III, 6.
- (2) Pii non habent osiores paucos: mentio hic fit hostium, osorum, violentorum.
- (3) A Deo est exaltatio, provecchio ad honores, opulentiam, &c.

USUS E VERSU L.

- (1) Celebrandus est Deus, voce, scriptis, factis piis. II. præcept.

- A (2) Propagandus est pro viribus Dei honor atque veritas revelata ad gentes, tum quia Deus dignus est, tum quia charitas proximi id urget, ut bonum sit communicativum sui. L. de Evangelii propagatione, v. g. per navigia, itinera, catechismorum in linguas alias translationem, seminariarum institutionem, &c.

USUS E VERSU LI.

- (1) Deus salvat, imò multipliciter & magnificè salvat. *Jeschua* (salus) omnis est in & à Jesu.
- (2) Etiam Reges atque Principes salutem suam adscribunt Deo, nil sibi: Psal. CXV, 1.
- (3) Messias à Patre adjutus adjutorium fert, aliis quibusvis indigentibus: Zach. IX, 9.
- (4) Etiam Reges hujus seculi communem quandoque cum Messia gerunt Unctorum titulum, sicut h. l. David cum suo filio, item Saul aliique.
- (5) Piorum benedictio derivatur etiam in posteros, B nisi graviter degenerent. vid. IV. præcept.

PSALMI XIX. DISPOSITIO.

Lex immaculata. Evangelium promulgatum. Schola naturæ & gratiæ.

Traditur hic I. Præconium gloriæ divinæ ex operibus naturæ, ubi introducuntur (1) cæli & expansum, quibus adscribitur enarratio divinæ gloriæ, nec non annunciatio operum magnificorum, v. 2. (2) dies atque nox, quæ dicuntur continuo propagare verbum, & scientiam indicare: v. 3. adeo ut nulla lingua sit expers præconii hujusce: v. 4. nec etiam terræ spatium, quorsum non pertigerint hi sermones, v. 5. Quæ ipsa quomodo simul egregiè depingant apostolicam evangelii promulgationem, observatur in textu. (3) Solis in cælo (a) domicilium: v. 5. (b) cursus, tanquam sponsi ornatissimè prodeuntis, celerrimè in semita prope- rantis: v. 6. 7. cuncta calefacientis, v. 7. Insignis hæc Messia effigies.

II. Encomium S. Scripturæ seu verbi divini, quod longè fortius gloriam DEI præ-

creaturis propagat, diciturque *Lex Domini, testimonium, præcepta, mandata, timoris Domini* doctrina, judicia, v. 8. seqq. cui tribuitur (1) perfectio v. 8. (2) animæ refectio: (3) veritas immota, (4) informatio simplicium, v. 8. (5) rectitudo, v. 9. (6) cordis exhilaratio, ibid. (7) puritas, ibid. (8) oculorum illuminatio, ibid. (9) inculpabilitas, v. 10. (10) constantia immutabilis, (11) veritas ac perfecta justitia, ibid. (12) pretiositas præ auro &c. v. 11. (13) dulcedo præ melle, ibid. (14) salutaris admonitio, v. 12. (15) observantiæ compensatio, ibid.

III. Precatio devotæ animæ: petens (1) errorum multiplicium manifestationem v. 13. (2) occultorum expurgationem, ibid. (3) à superbis præservationem, v. 14. (4) integritatis confessionem, v. eod. (5) precum paternam susceptionem; v. 15.

PSALMUS XIX.

EXPLICATIO VERSUS I.

למנוח *Præfecto musico:*) scilicet traditus est hic Psalmus, ad eundem in conventibus sacris publicè in templo decantandum; ubi alii Psalmi, quibus titulus hic præfixus non est, inserviebant saltem lectioni vel orationi privatae, non verò cantilenæ. Vide *Psal. IV, 1.* Verbum autem (traditus est,) vel simile quid, suppleri debet, cum tituli, ex præscripto quodam communi, concisi esse soleant. Syri veteres hanc fecerunt *Ἐλευθερία*: liberatio populi ex Ægypto, nobis verò theologia, ac si compendium hic traderetur theologiæ. Arabica ecclesia recitari voluit hunc Psalmum sub finem diei sabbathi. vide *Hotting. fasc. di. p. 89.*

EXPLICATIO VERSUS II.

והשמי *cæli hi ipsi:*) nimirum quos oculis

nostris intuemur quotidie, ipsaque adhuc hora hac. *He* enim præfixum h. l. verè est emphaticum, digitum veluti ad cæli hujus aspectabilis stupendam ac summè artificiosam machinam extendens. Sic enim omnino sensu literali agi hinc de cælis propriè dictis, censent Theologi saniores; ita tamen, ut sensus typicus, de Ecclesia N. T. quæ dicitur *regnum cælorum*, item novi cæli creati, *Jes. LXV, 17. LXVI, 22*: sit ratione scopi prophetici, primarius, quomodo v. g. *Hof. XI, 1*: de Israële & Christo, tanquam typo & antitypo, simul tractatur. Ita *Hopfner. comm. hujus Psalmi*, allegans in hanc suam sententiam Augustinum, Ambrosium, Lutherum, (*t. 3. Jen.*) Brentium, Gesnerum, &c. vide & *Glass. l. V. p. 179.* item *D. Calov. ann. contra Grot. ad Ps. XIX, 5.* & *D. Joh. Olear theol. exeg. p. 158* De concentu cælorum harmonico, quem Pythagoras malè ex

M 2

textu